cies doctum; Unum genus est quod uerbo docet; Aliud quod exemplo;
Libera me de sanguinibus deus deus salutis meae id est de omnibus peccatis
meis. Deus deus salutis meae. a quo salutem expecto; Exultabit id est excelsa
praedicabit. Lingua mea iustitiam tuam; iusticia dei est ut peccatores pecca
ta sua confitentes exaudiat. De sanguinibus contra regulam grama
ticae artis posuit quoniam sanguines pluraliter dicere non per
mittit; Sed maluit regulam gramaticae artis infringere quam
id exprimere quod uolebat. Neque enim se ab uno tantum peccato
liberare posceret. Sed ab omnibus. Et exaltabit lingua mea iusti
ciam tuam; Cui ueniam implorat misericordiam pocius laudare
debet quam iusticiam. Sed iusticia in utroque est; Sicut enim
iustum est ut iniqui et inpenitentes damnentur, ita aequum creditur ut
poenitentibus parcatur; Recte ergo dauid hanc exaltat iusticiam
quae sibi poenitenti concedat ueniam. Domine labia mea aperies.
Ut nec cogitare nec loqui quicquam bonum ualemus. Nisi tua gratia
praeueniamur; Ideo tu labia mea aperi et resolue, ut te possim
laudare; Et os meum id est intellectus annuntiabit laudem clementiae tuae
id est quod me gubernas; Quoniam si uoluisses sacrificium. scilicet pecudum
dedissem; Eo tempore quo dauid haec loquebatur sacrificium lega
le urgebat; sed praeuidebat iam in spiritu illa sacrificia ad nihilum
redigi debebant; Olocaustis non delectaberis id est sacrificiis carna
libus. Sacrificium deo spiritus contribulatus. id est afflictus et hu
miliatus; Benigne fac domine in bona uoluntate tua Sion; Sion significat
ecclesiam quae per contemplationem mentis deum uidetur. id est electos et iustos
homines. Et aedificentur muri Ierusalem. Per muros Ierusalem signifi
cantur uirtutes praesentis ecclesiae. id est sanctorum hominum id est caritas humilitas
et reliqua; Tunc acceptabis sacrificium iusticiae; oblationes